

10  
DISSERTATIONIS ACADEMICÆ

DE

CENTONIBUS POËTICIS

CONTINUATIO ALTERA,

---

QUAM,

VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

*Academiae Aboënsis h. t. Rectore,*

*Eloqui. Professore Publ. & Ord. Imper. Ord. de S. Wolodimiro*

*in quarta classe Equite, Societ. Oecon. Imp. Fenn. atque*

*Reg. Wermel. nec non Societ. Patriot. Holm. Membro, &*

*Societ. Latin. Jenens. Socio Honorario,*

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE SUBJICIT

ULRICUS OLLBERG,

*Stip. Publicus, Nylandus.*

In Audit. Theologico die XXVII Junii MDCCCKV

Horis a. m. confvetis.

---

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.

IN  
SACRAM IMPERIALEM MAJESTATEM  
MAGNÆ FIDEI VIRO,

AMPLISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO

DOM. CAROLO CHRIST. GADD,

JUDICI PROVINCIALI ATQUE TERRITORIALI ÆQUISSIMO,

PATRONO LONGE OPTIMO,

*Cujus per tres annos acceptis beneficiis eniti usque huc valuit,  
gratias, quas pectore diu volvit pio, meritisimas jam palam  
Et in conspectu omnium actas voluit, debuit*

AMPLISSIMI ET CONSULTISSIMI NOMINIS SUI

cultor devotissimus  
ULRICUS OLLBERG.



*Curam ego verborum, rerum volo  
esse sollicitudinem.*

QUINTILIANUS.

**C**entonaria pangendorum versuum artis quantumvis  
exigua sit laus & nostro ævo minoris etiam quam  
ante æstimata, non carent tamen ingeniosiores ejusdem  
accommodationes delectandi vi, nec ipsa res vel hodie  
in desuetudinem plane abiit. Non habet ista nativam  
quandam & ex se promptam elegantiam, sed mutuam,  
at abest tamen longe a plagio; memoriæ plura quam in-  
genio debet, nec veræ poëseos nomen meretur ullo mo-  
do, sed potest tamen coagmentationis harmonia, accom-  
modationis facilitate ac veritate, & apto illo, quo qui-  
dem in re quavis nihil est difficilius, sed cujus contra-  
rium, ut maximum (nec id in solo dramate) vitium, poë-  
ta aut fugit aut fugere saltem debet *a*) — bene confer-  
vando,

---

*a*) CICER. Orat. c. 21. f. 70. sq. c. 22. f. 74. Offic. L. I. c. 28. f. 97.  
*Quod decet, fere prodest*; QUINTILIAN. L. XI. c. I. f. 8.

vando, placere: si minus ut ZEUXIDIS Helena, ex eo quod in nudis quinque lectissimis virginibus laudatissimum is judicaret, adumbrata *b)*), at certe ut musivum in pavimento aut pariete opus. Comparari tamen hæc haud in omnibus cum Centonum artificio poterunt. Ut placeret ZEUXIDIS Helena, solo hujus opus erat intuitu; ut placerent resel atæ illæ species, harum: ut vero tam placeant Centones quam possunt, etiam aliqua nec parva eorum Auctorum familiaritate, e quorum laciniis illi fuerit compositi. Per se namque judicantur illa; in his alienæ agnosci oportet manus præstantiam, & reflecti, quasi e concavo speculo, aliter quidem versam, nec debonestatam tamen, bene notam imaginem.

Verum hæc, utpote alibi copiosius disputata, hactenus. Centonum poëticorum investigare initia, historiam tradere, sistere enumerationem, decennio abhinc, instituerunt Cl:mi C. G. WESTZYNTHIUS & D. C. STENIUS *c)*). Non erant illi veriti, nec erat ipsis, in tenui quidem sed ad humani nihil inexpertum relinquentis ingenii tentamina propius noscenda comparato argumento, verendum, ne micrologiæ, cujus quippe in rebus ad Litterarum & Artium historiam spectantibus frequentior quam verior esse solet criminatio, incularentur; quapropter neque nos, ut speramus, poenitere patientur idonei harum rerum existimatores, quod, spicilegii instar, nonnulla tum aut prætermisâ aut nondum contexta, jam commemoratis adjicere constituimus. Sequemur vero hoc in negotio superioris dis-

---

*b)* CICER. de Invent. L. II. c. I. PLIN. L. XXXV. c. 36. f. 2.

*c)* Disf. Acad. de Centonibus Poëticis; Disf. Acad. de Centonibus Poëticis Continuatio, Aboæ, 1805. Prodiit utraque eodem, quo & nos prodimus, Præside.

disputationis tenorem: faciendo a Græcis initium, in Latinis desinendo.

Propositi inter Centones Græcos primo loco fuere unus ex Anthologia H<sub>ANR.</sub> STEPHANI haustus, alter ex IRENÆO: de quibus, quod addamus, nihil habemus aliud, quam legi illum etiam in BRUNCKII Analectis T. III. p. 149 & JACOBSII Anthologia Græca T. IV. p. 116 sq. esseque, cum levioribus tantum nec evitandis locorum Homericorum immutationibus, ex Il. II. 110, X. 534, Odysl. V. 238, XII. 449, X. 228, XII. 249 (illius priore, posteriore hujus dimidio), IX. 497, XII. 453, Il. X. 432, Odysl. XIX. 478, Il. XX. 250, conflatum. Leguntur vero præterea apud BRUNCKIUM l. c. p. 148 sq. & 129 sq. atque JACOBS l. c. & p. 99 Homerocentones duo alii, ignotis ambo auctoribus: quorum poëmaticorum alterum, *eis παρθένον Φθαρῆϊσαν*, breve quidem illud, sed obscenitate cum Centone AUSONII nuptiali certans, ex Odysl. XXIII. 97, Il. V. 361, X. 83, XXI. 50, XVI. 333 (aut, quod eodem recidit, XX. 476, sed Homericis τὸν δὲ κατ' ὅσσε in αὐτὰρ ἔπειτα mutatis), & Odysl. V. 268 componitur; alterum, *eis Λεάνδρον καὶ Ἡρῶ τὴν Σησιάδα*, ita se habet:

Ἀκτῆ ἐπὶ προεχέσῃ, ἐπὶ πλατεῖ Ἑλλησπόντῳ,  
 Παρθένος αἰδοίῃ ὑπερώϊον εἰσαναβᾶσα  
 Πύργῳ ἐφειρήκει γόασά τε μυρομένη τε,  
 Χρύσειον λύχνον ἔχευσα, Φάος περιμαλλῆς ἔποιε,  
 Κεῖνον οἰομένη τὸν κάμμορον, εἰ ποθεν ἔλθοι  
 Νηχόμενος, καὶ λαΐτμα τάχιστα ἄλως ἐκπεραΐστικοι  
 Νύκτα δι' ἀμβροσίην, ὅτε θ' εὐδρασι βροτοὶ ἄλλοι  
 ῥόχθαι γὰρ μέγα κῦμα ποτὶ ξερὸν ἠπείροιο.  
 Ὅσσα γὰρ νύκτες τε καὶ ἡμέραι ἐνγεγάασι,  
 Παρθένος ἠΐθεος τ' ἀαρίζετον ἀλλήλοισιν,  
 Ἐἰς εὐνήν Φοιτῶντε, Φίλῃς λήθοντε τοκήας,  
 Ὅ, Σησον καὶ Ἄβυδον ἔχον καὶ δῖαν Ἀρεῖσθην.

Centonem hunc, in quo tamen potissima narrandi facti momenta desiderantur, intrant, cum insigni 6:ti, leviore 9:ni, levisima ultimi versus mutatione, loca Homericæ Odysf. XXIV. 82, Il. II. 514, VI. 373, Odysf. XIX. 34, Il. 351, VII. 276 (cfr. IX. 323), Il. X. 83, Odysf. V. 402, XIV. 93, Il. XXII. 128, XIV. 296, Il. 836.

Homerocentonem ἐπὶ Πανὸς memorat, nec affert tamen, EUSTATHIUS ad Iliad. IV. 109, narratque fuisse & hunc versum ibi repetitum.

Referrī ad Centones Græcos antiquiores merentur forte & HERMIPPI Comici Ἰαμβοί, quos nempe HEMSTERHUSIUS *d)* non Comœdiam fuisse putat, sed opus ex pluribus diversæque materiæ carminibus jambicis confiatum; sed certius etiam Ὀδὴ quædam παραγγέλιος ab HISTIÆO Grammatico ex PINDARO, HESIODO & ANACREONTE confarcinata, de qua LUCIANUS in Symposio. Sunt quoque apud hunc Samosatensem versus illi, quibus, in scripto Ζεὺς Τετραγώνος, Minerva loquens inducitur, ex Homericis centonis in modum compositi; quod vero HESIODI Theogoniam, ERATOSTHENSIS Catasterismos, & COINTI f. QUINTI, quem *Calabrum* vulgo cognominant, Paralipomena, Centonum loco habita volunt, illamque dicunt ex antiquioribus poetis, istos e propriis ejusdem Auctoris in ARATUM scholiis, hæc e poetis cyclicis congesta *e)*, id de materia potius ipsisque rebus, quam de forma & verbis est intelligendum,

Ve-

---

*d)* Laudatus in Bibliotheca Græca Fabricio-Harlesiana Vol. II. p. 450. HERMIPPUM vero ASPASIE vixisse tempore, docet PLUTARCHUS in Pericle c. 58.

*e)* WACHLER Handbuch der allgemeinen Geschichte der literarischen Cultur p. 76, 119.

Veris, sed recentiorum temporum Ὀμηροκέντρεις annumerandi sunt LEDESME (ALPHONSI forte, utpote Hispanorum saltem poematum haud infelicis scriptoris, aut MICHAELIS HIERONYMI, Græcorum quorundam opusculorum auctoris) *Cento Homericus de passione Christi*, quem, ex MIRÆO de Scriptoribus Sæculi XVI:ti, excitavit HARLES f), & JACOBI DUPORT *Carmen Ὀμηροκέντρικόν in somnum*, quod in Poëmatibus ejus p. 231 legi, cum FABRICIO affirmat idem g). Nobis neuter propius innotuit.

Svevisse Centones Græcos primitus ex HOMERO, Latinos fere ex VIRGILIO contexti, & in superioribus monitum dudum est b), & ISDOI *Hispalensis* testimonio i) firmatur. Haud concurrunt tamen ubique temporum & fontium ordo, quorum igitur illum potius, quam hunc, in Latinis quoque, ad quos jam pergimus, annotandis sequemur.

De versuum commode positorum ad adjuvandam orationis urbanitatem momento agens QUINTILIANUS k) totum narrat fuisse ab OVIDIO librum ex tetraſtichon ÆMILII MACRI carmine *in malos poëtas* compositum; quod de paro-

f) L. c. Vol. I. p. 554.

g) Ibidem p. 555.

h) *Disf. de Centonibus poëticis* Pr. p. 4.

i) *Centones apud Grammaticos vocari solent, qui de carminibus HOMERI vel VIRGILII ad propria opera, more centonario, ex multis hinc inde compositis in unum sarcuntur corpus, ad facultatem ejusque materiæ; Origio. L. I. c. 38. Cfr. TERTULLIANUS de Præscriptionibus hæreticorum c. 39.*

k) L. VI. c. 3 f. 96. sq.

parodico artificio intelligendum maluit SPALDING, rectius, ut partim ex sequentibus, partim ex intercedente OVIDIO cum MACRO affinitate & amicitia 1) patet, de centonario GESNER. Memorabile hoc est haud contemptæ ne ab uberrimæ quidem venæ poëta artis, simulque non minus memorabile petita illis jam temporibus ab alia quam a Mantuani penu materiæ exemplum, sed cujus, præterquam apud FABIUM, ne mentio quidem superest.

Succedit COELIUS SEDULIUS, Sæculi post Chr. n. Viti Presbyter, cujus esse putatur *Carmen de verbi Incarnatione*, versuum undecim supra centum, & per omnia fere ex VIRGILIO effictum. Indicat hoc auctor ipse sequentibus e carmine, quo Paschale suum Opus THEODOSIO Augusto Imperatori dedicavit, versibus:

— — — — dignare Maronem  
*Mutatam in melius divino agnoscere sensu;*  
 magisque etiam docet ejus, de quo jam sermo præcipue est, poematis inspectio. Exempli loco hæc sunt (v. 11 — 17):

*Virgo matura fuit, jam plenis nubilis annis,  
 Cui genus a proavis ingens nomenque decusque,  
 Intemerata toris; talem se læta ferebat,  
 Casta pudicitiam miro servabat amore.  
 Huic se forma Dei, cælo demissus ab alto  
 Spiritus intus alit, casto se corpore miscet;  
 Ante tamen dubiam dictis solatur amicis;*

quæ quidem omnia sunt ex Æneid. VII. 53, XII. 225, III. 178, I. 503, Georg. II. 524, Æn. III. 298, Ecl. IV. 7. Æn. VI. 726 sq. V. 770, cum levi sed necessaria fere mu-

---

1) OVID. Amor. L. II. eleg. 18, Trist. L. IV. eleg. 10. v. 43, sq. ex Ponto L. II. epist. 10.



mutatione expressa. Servatur in ceteris quoque plerumque idem tenor, mutatis adjectisque, ubicunque opus id fuit visum, non admodum multis, & sane paucioribus profecto, quam e subscriptorum a FABRICIO vel potius SCHOETTGENIO *m*) locorum parciore copia quis conjecerit. Sic, præter nonnullas jam notatas, allegationes absunt, ad v. 8, Æn. I. 200; ad v. 29, VIII. 155; ad v. 30, Georg. IV. 1; ad v. 33, Æn. X. 3; ad v. 38, Ge. III. 42; ad v. 43, IV. 447; v. 65, Æn. I. 735; v. 68, IX. 153; v. 77, VI. 620; v. 80, II. 537; v. 88, Æn. I. 605; v. 101, VI. 628; v. 109, VIII. 303 &c. ut taceam multa immo plurima esse ex archetypo sine omni mutatione expressa. Haud ii tamen sumus, qui cum SCHOETTGENIO *n*) putamus, præstitisse SEDULIUM, quod promiserat, nimirum mutaturum se VIRGILII versus in melius; sufficiat non esse hunc in pejus mutatum, sed servata sermonis puritate ac nitore ubique facile agnoscendum. Addemus, in hujus rei exemplum, locum, in quo Æternus Pater nasciturum in tempore filium his verbis (v. 35 — 54) alloquitur:

*Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus,  
Nate, mihi quem nulla dies ab origine rerum  
Dis similem arguerit, comitem complector in omnes:  
Te sine nil altum mens inchoat; omnia mecum  
Æternis regis imperiis, & quidquid ubique est.*

*Nulla*

---

*m*) J. A. FABRICII Bibliothec. Latin. mediæ & infimæ ætatis Vol. VI. p. 930 — 940, ubi totum SEDULII opusculum repetitum legitur. Est vero ultimum illud eruditissimi laboris Volumen a CHRIST. SCHOETTGENIO, paucis tantummodo b, Auctoris schedis adjuto, additum.

*n*) L. c. p. 442.

*Nulla meis sine te quæretur gloria rebus:  
 Omnia sub pedibus, qua sol utrumque recurrens  
 Adspicit oceanum, vertique regique videbunt.  
 Quæ tibi polliceor (neque est te fallere quidquam),  
 Hæc tibi semper erunt vatum prædicta priorum.  
 Nec mea jam mutata loco sententia cedit.  
 Nascere, præque diem veniens age lucifer alnum;  
 Nascere, quo toto surgat gens aurea mundo,  
 Unde etiam magnus cælorum nascitur ordo;  
 Nascere, ut incipiant magni procedere menses;  
 Ne maneant nobis prisca vestigia fraudis;  
 Prospera venturo latentur omnia sæclo.  
 Adgredere o magnos, aderit jam tempus, honores:  
 Aspera tum positis mitescent sæcula bellis,  
 Pacatumque regent patriis virtutibus orbem;*

in quibus omnibus vel integri, vel ex parte saltem com-  
 parent *Æn.* I. 664, IX. 281 sq. *Ge.* III. 42, *Æn.* I. 230,  
 IX. 278, VII. 100. sq. IX. 301, *Ge.* IV. 447, *Æn.* IV. 464,  
 IX. 220, *Ecl.* VIII. 17, IV. 9, 5, 12, 31, 52, 48, *Æn.* I.  
 291, *Ecl.* IV. 17.

Sequitur jam majore etiam intervallo HILDEBERTUS, Epi-  
 scopus Cenomanensis, deinque Turonensis Archiepiscopus,  
 & in hoc officio a. 1139 mortuus, cujus superstes est *de*  
*Urbis Romæ ruina* octodecim aut ad summum viginti di-  
 stichis constans elegiacum Carmen o). Annumeratur hoc  
 poë-

---

o) Legitur id, post prisca OPITHI, PETRI BURMANNI & aliorum curas,  
 in J. C. WERNSDORFII Poëtis Latinis minoribus T. V. P. I. p. 203 —  
 208, docetque in errore versatum fuisse BAYLIUM, cum (Diction-  
 naire historique & critique voc. *Hildebert*) diceret eo scripto amare  
 perstringi prolapsos Romæ curiæ mores.

poëmatium a WACHLERO p) Centonibus: eique ita asfen-  
 titur WERNSDORF q), ut nec plane antiquum id esse cre-  
 dat, nec nullam habere particulam antiqui carminis. De-  
 prehenditur certe, in brevi licet carmine, magna stili,  
 jam melioribus digni temporibus, jam monachali bar-  
 baria propioris, inæqualitas; sed veri fontes, in iis quo-  
 que quæ veteribus sunt similia, vel ideo ægrius dete-  
 guntur, quod videtur in illis utendis plus datum esse par-  
 odicæ libertati, aut sobriæ imitationis studio, quam cen-  
 tonariæ fidei. Est vero etiam, ubi Ausoniani. de duo-  
 bus pluribusve unius ejusdemque auctoris versibus haud-  
 quaquam eadem, qua apud ipsum leguntur, serie locan-  
 dis. præcepti aut inscius aut immemor, integra septem  
 antiquiora & inter se cohærentia ignoti poëtæ disticha  
 succedere sibi jusit exigui quantumvis scripti sarcinator;  
 ut in his (v. 21 — 34):

*Urbs cecidit, de qua si dignum dicere quidquam  
 Moliar, hoc potero dicere, Roma fuit.  
 Non tamen annorum series, non flamma, nec ensis  
 Æternum potuere hoc abolere decus.  
 Cura hominum potuit tantam componere Romam,  
 Quantam non potuit solvere cura deum,  
 Confer opes, marmorque novum, superumque favorem,  
 Artificum vigilant in nova facta manus:  
 Non tamen aut fieri par stanti machina muro,  
 Aut instaurari sola ruina potest.  
 Tantum restat adhuc, tantum ruit, ut neque stans pars  
 Æquari possit, diruta nec refici.  
 Hic superum formas superi mirantur, & ipsi  
 Se cupiunt fictis vultibus esse pares.*

B

De

p) L. c. p. 396.

q) L. c. p. 60 — 65, 205. (ad v. 21).

De cetero neque interpolationibus caret hoc poema. Reliquorum HILDBERTI operum r) ad Centones quidem nullum videtur pertinere, nisi forte alterum illud parifere versuum numero finitum Carmen de Roma reparata atque ex christiana religione illustriore, quod, quum priori illi jam accuratius descripto sit de industria quasi oppositum, pari compilationis genere congestum a WERNSDORFIO putatur.

Commemorantur supra s) inter Centonum Latinorum scriptores CAPILUPI duo, LÆLIUS t) atque JULIUS, quorum tamen illi, quantumvis arguto & ingenioso, hunc præstitisse, BAYLI u) est ex POSSEVINO iudicium. Jam vero Lælianis addendus est *Cento in mulieres*, insertus postea DOMINICI BAUDII *Amoribus*, quemque acuminis plenum sed nimis satyricum idem BAYLE iudicavit. Meminit ejus & JÖCHER v), atque ex VIRGILIO expressum esse haud obscure innuit. Specimina, si ipsi vidissemus, e felicissimo accommodandorum versuum artifice daremus lubenter; sed æque vetat librariæ apud nos penus angustia, atque relinquere alienæ industriæ ea, quæ de Centonibus dicenda restant, & temporis & facultatum jubet in arcum conclusa ratio.

r) Cfr. de iis WERNSDORF l. c. p. 61 — 64. FABRICIUS l. c. Vol. III. p. 759 sqq.

s) STENIUS p. 12 — 16.

t) LEONEM CAPILUPI appellat VON BLANKENBURG in SULZERS Allgemeine Theorie der schönen Künste, 4 Theil p. 152.

u) Libr. cit. voc. *Camillus Capilupus*.

v) Gelehrten-Lexicon, voc. *Lælius Capilupi*.

